VITÆ,

AC GESTORVM
B. IACOPONIS
DE TVDERTO
EPITHOME

BERNARDINI ANGELVTII
Rectoris Curatæ Sacti Laurentij ſupra Murum.

Tuderti apud Vincentium Galaſsium;

Superiorum permiſsu.

Illustriss. BENEDICTONIORVM Familiæ.

Bernardinus Angelutius fælicitatem.

PRęclara Tudertium Ciuitas, quà tonuit olim in Capitolinis Arcibus per Traianum; quà fulgurauit in Vaticanis Collibus per Martinum; quà resonuit armis per Liuianum, & nuper per Erminium de Choris (vterque Copiarum Du-ctor, & Dux) Serenissimo Venetorum Senatui, ac Orbi vniuerso, per Vincentium Caroccium in Iuris prudentia, & Iosephum Pisellium in Poetica dignitate, sublimes, gloria Tudertinæ Vrbis inclaruit. Queis eminet Illustrissima Benedictoniorum Familia, cuius non Autor, sed Auctor fuit B. Iacoponus.

Mundo enim illa florebat, dum Cęlo iste refloruit.

Cum autem tanti Hominis morum, & vitæ admirabilis Breuiarium texeretur, texentis in mentem venit Fons ille in Sacris Oraculis, qui egressus de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum diuiditur in quatuor capita,

Fons iste, dicebat, esto Iacoponus Beatissimus, ex cuius familia prodijt quadripartita Benedictoniorum Domus, ad irrigandam, hoc est decorandam, moribus, gestis, & ornamentis Vrbem suam, & Orbem totum.

Paradisus fuit, quia in eius Anima plantauit Dominus Deus omne lignum pulcrum visu, scilicèt omne virtutum genus, omnium oculis contemplandum: & ad vescendum suaue, perfectam videlicet scientiam humanarum rerum, & diuinarum quibus incredibilem adiecit despectum sui, sapientissimè quæsitum in admirabili modo, simulata dementia.

Conferri etiam potest quadripartita Domus hæc cum ea Ciuitate, quam Diuus ille cælesti lumine circumfusus quondam viderat locatam in Quadro. Quadrata Ciuitatis forma partium indicat æqualitatem, & soliditatem in fundamento; quod & in multiplici partium singularum prole, & dignitatum gradibus cernimus contigisse.

Lucubrationē hanc qualis illa sit, vobis dicanda censui, quę licet gelidissimo verborū vallata

Sa-

Satellitio ſit, Auctoris tamen in Vos ardet amor, ſæpius enim penetrabile frigus adurit.

Si quis autem acuto Rinocerotis naſo quidquam in ea minus gratum, aut graue olens fortaſsè depræhenderet, illum, quęsò in gratiam pudoris obuertat, quoſque clementior oculus, tanquam legitimus Iudex, omnia, ſaltem, ſi & in quantum (vt aiunt) obſecuturos admittat.

Cæterùm valeat, & perennet æternùm Clariſsima Domus veſtra, quæ ſemper eadem ſit, præcor, in Merito, ſemper altera in Honore.

IACOBVS, qui & IACOPONVS per ludibrium postea dictus est, Tuderti ex Nobili Benedictorum, hodiè de Benedictonijs Familia natus, numerum Sanctorum Hominum Patriæ insignibus auxit. Adolescens secularibus literis delectatus, Aduocati munere fuit Illustris, Auri, & honorum acri captus amore Vxorem duxit æquè clari generis fæminam, quæ Viri propensionem in fastus, luxusq; ad speciem imitata, gloriam suam non in ore Hominum ponere, sed intra conscientiam tegere conabatur, insidiosæ vanitatis laqueos tutius euasura sub serico, gemmisque, asperrimo corpus torquebat indusio.

Quod tamen casu accidit, vt resciret Iacobus. Solemnes erant & Choreæ, & tripudia in publica quadam Aula, in quam ex vniuersa Ciuitate tàm virorum, quàm Mulierum concurrebant greges, quos inter Iacobi Vxor iussa numerabatur. Verùm paulò post improuisa, præcipitique ruina curruit Aula. Atque ità pulueris ingens, cementorumque aceruus tripudiantes ad necem inuoluit. Ergò, mutata repentè rerum specie, à tripudijs, & plausibus, ad suspiria, & mortes gra-

gradus abijt.

Hùc aduolat Iacobus, Vxoris grauiore perculsus nuncio; semianimem repertam, vestibus (vt fit) hinc indè laxatis, illa tamen, vtcumque poterat, reluctante, leuare dum curat, Cilicio pręcinctam depræhendit asperrimo.

Talia contemplatus expauit. Mox tristi perfusus rubore, factum animo euoluens, pudicæ Fęminæ vitam, & vices, diuino fretus præsidio, sibi ad imitandum proponit.

Hoc tamen diuersus; quòd illa, quasi aliud agèret mundanas illecebras, & Infernum, tanquam ex insidijs, ac secretò fefellerat; Ipse autem è latebrius auderet in arenam prodire; nouoque Belli genere tartarei Hostis, vel hebetare, vel fundere vires posse consideret.

Intereà parentauit Iacobus demortuæ Coniugi: sed siccis oculis lacrymas furto rapuerat cordis dolor; auolarat enim à se Animæ dimidium suæ, prodigium magnæ Vsque adeò esanguis, ac rigens stetit, vt vtrique diceres parentatum.

Deinceps sæculi nomen, & memoriam odisse cępit, extrà Mundum, si quando extrà se,

viuens abiturus.)

Mox sacra Templa sæpius inuisere; traducere horas, & Noctes ipsas orando, sua omnia indigentibus elargiri; omnem deniquè cogitationem, in Christi Domini opprobrijs, contumelijsque defixam habere. Demum inter Diui Francisci Tertiarios, vt vocant, vili sacco, induitur, voluitque libens egere, loqui sæpè ridicula, & contra mundanos ludicra; Ita tamen, vt ancipites fierent omnes; audirent ne de Mundi vesania dicentem Philosophum; an in Iacobo (tunc cæpit per contemptum Iacoponus appellari) Sapientiam, velut in sua sede philosophantem. Exceptus proindè puerorum sibilis, cæterorumque scommatibus, resupino in Cœlum vultu, eximia cordis voluptate perfundebatur in Domino.

Vile cupidus iumentum haberi, sagma reperit ex industria, humerisque imposuit, immundas posteriores dentibus partes præmens.

At-

Atquè ità in ſumma hominũ celebritate manibus, genibuſque reptans vijs obambulabat, & ipſi Foro.

Stupuere alij tàm præclari hominis lacrymabilem dolentes caſum: alij nouam inſaniendi licentiam petulantiùs irriſere.

Verùm deſpecta Humilitas nunquam tàm ſuperbè triumphaſſet ni Iacopone curru. Angelis, & Hominibus prodigium factus, omnium opinione ſtultus, ſibi tantum conſcius, omnium commodis, tùm vocatus, tùm vltroneus continenter adeſſe viſus eſt. Quamombrem rogatus à quodam, vt, quos emerat, Domum ſuam Capones deportaret; perhumaniter quidem accepit, ſed rectà properans ad Eccleſiam, illius proiecit in Tumulum.

Re per vulgi præcipitis aures illicò volitante, effuſiſſimo riſu Ciuitas admirata corruit: ſed non defuiſſe credendus eſt, qui in ioco iſto aliquid magnum, & ſapientiſsimo dignum Homine ſuſpicaretur. Riſum planè conciliat, ſed argutè inuentum ad compunctionem.

Inſanit, aiunt, Iacoponus, qui manſuras homi-

num Domos, dicit, esse sepulcrales vrnas, quæ licet parui ædificentur, vtpote angustæ; si tamen diligentiùs respiciantur augustum quid sua referunt in angustia.

At nō delirus rectè habendus ille, cuius labore plurimo, & impensis maximis, Ciuitas aliquandò tota fit Domus, ad momentum fugitiui temporis duratura?

Illud etiam, non solum admirabile, sed stupori, & estasi magis proximum.

Melle, atque alio genere glutinis circumquaquè fædatus, infinitisque auium plumis, accubito, ministrante, distinctus in germani Fratris Aula, propinquis, alijsque carmina modulantibus frequentissima (erat enim nuptialis) apparuit; pro risu gemitus ciens.

Eo nimirùm consilio, vt, vel choreas illas, & cantus, & plausus, ceù ludicras puerorum nugas, tàm formidabili spectro, in fugam verteret: vel Dædalus alter, nempè felicior, quià verior nouo prorsus exemplo, efficaciùs erudiret Homines, quo remigio alarum sit, ad æternæ salutis portum, infidi Maris humanæ vitæ superatis flu-

fluctibus, enitendum.

Cæterùm animaduertens delirus Prudens in vado minus esse negocium Animæ quæ proprio dumtaxat dirigatur arbitrio, ab aliorum voluntate pendere decreuit, & ad Franciscanam Religiosorum Familiam confugere. Ad quam, ab ea, quam sapientissimè simulabat, insipientia, obstructam viam aperuit Dominus; & Laicos inter Fratres recipitur.

Purgandæ scopis Domui, alijsque vilioribus ministerijs Vir Dei præesse iussus est.

Interim ieiunijs perennibus fame substentata, ecce tibi gulæ blandientis tentatio. Hædinum inhiat iecur: conquisitum diligenter seponit, donec vermibus, & pædore scateret: & sic prandere voluptuosè cadauerosum planè missum. Ab eo, cum stomacus remoueret oculos putridoquè ædulio dentes impares essent, edorsata comedendi voluptate, nares audentior adhibebat.

Itaque totam ferè occultus putor infecerat Domum.

Cuius incommodi reum repertum Iacoponē, irati Fratres in partem Domus fædissimam solaque

que necessitate peruiam, innoxias daturum pœnas, intunserunt. Atque ità Epitropus confusionum factus est.

Exhorruerat sæculum illud cælestium rude virtutum, vel inter à sæculo discretos viros, Iaconis doctrinæ, ac morum genus Eaque propter, vt tanto se Magistro indignos profiterētur, à nausea in risus, & despectus effluxerant vniuersi.

Quemadmodum nec nouus ille Doctor nobiliore poterat è suggestu tam palmarem ignorantiam erudire.

Ibi aliquandò feruentiùs oranti Consolator Optimus adfuit Iesus, despectam Sectatoris sui sapientiam coronaturus; sciscitatusque nùm aliò, nempè commodiorem transmitti studeret in locum: longè fædiore dignum se (quia terræ odiũ cum Cęli amore certabat, vt vinceret) quàm dimisse respondit.

Emissus indè Populi Principes, suique Ordinis Ministrum generalem; quin & ipsum Pontificem Maximum prophetica libertate coarguit.

Quamobrem schemate priuatus monastico

vin-

vinculis adstrictus est, & excommunicationis gladio, ad terrorem petitus, de quo sæpè conquerebatur: sed in his, quià propter Iesum, semper idem, semper alacer, subridens, lepidus.

Diuino afflatus Numine, futura prædixit plurima; quæ inter ipsi Summo Pontifici Bonifacio VIII. vincula, & carceres; percunctanti enim ab Iacopone, vt fertur, quem durior adhuc custodia coercebat, quando nam liberati se restituendum putaret; statim respondit: cum primùm Sanctitatis tuæ libertas vincietur.

Quam quidem prænotionem, quemadmodum præsens omnium risus excepit, ità, non sine graui bonorum scandalo, cita veritas comprobauit.

Catenis itaque solutus eadem hora, qua Pontifex adstrictus fuerat, Tudertum redijt: mox ad Collem Azonis, fine curarum iam imminente, secessit.

Myrrhæ, qui se subduxerat e monte variorum horrido malorum, pulcrè ad Azonis, nempè

pè

pè thuris collem properat: Vt bonum inde Christi odorem, quo Terræ incolas iam latè perfuderat, cupidiſsimis etiam Cęli mentibus impertiret.

Amoris igne continenter ardebat, ferebatque dolenter glaciem peccatorum. Quarè mentis oculos in omnes hominum ordines, ætates, ſtudia, & propenſiones aliquandò conuertens, innumerabiles vidit à Cęli tramite aberrantes, diuitias, honoreſque impenſiùs quærere, mutuis agitari odijs, terram ſapere, carnalibus inquinari. Ea propter torrente lacrymarum rapido perfuſus genas, ingenti perſtrictus angoris vi, crebriſque ſuſpirijs, & ſingultibus interclusa vox faucibus hæſerat: cancellatiſque manibus, modò languidum pręmendo caput; modò genua debilia reprimendo, ſpirantem deſperantis imaginē præferebat, quod videns neſcio quis enixè rogauit, cur tàm inſolēti doloris agitaretur ęſtù, Heù, heù, vix tandem, ait inclamans, me miſerum, & ab omni calamitatis parte lacrymabilem!

Vnicè amandus non amatur Amor.

In proximos autem eo charitatis igne flagrauit,

uit, vt infinitis cuperet, se vadè, addici tormentis, non tàm pro viuentium salute, quàm pro temporalibus extinguendis quorumcunque in igne purganti laborantium flammis. Quin, & pro ijs ipsis, qui æternas irato Deo (si fieri posset, quod nequaquam posse probe norat) apud inferos pęnas luunt.

Præterea, vt reduci sibi, post plurima sæcula, tandem ad Superos illæ omnium, vel ad vnã, animæ immortalibus ab se auctæ beneficijs (quæ vis, & potestas inauditi post IESVM amoris argumentum est) acceptum nihil omninò referrent.

Metricæ procliuis Orationis plura cecinit, quę vulgò Beati Iacoponis Cantica nuncupantur, eademque sermonis rusticitatem ex industria secutus, exquisito Cælestis doctrinæ sapore conspersit.

Cum aliquandò Beatissimam Virginem Iesu Filio patienti adstantem vehementiùs contemplaretur, Canticum, Stabat Mater dolorosa, composuit. Rhitmum etiam ab Ecclesia in Missis defunctorum adhibitum: Dies iræ, dies

illa,

illa, confecisse, Authores è sua Familia doctrina, & Sanctitate præstantes tradidere.

Viro Dei ad mortem Egrotanti, diuina monitus voce, præter omnium opinionem, præstò fuit Frater Ioannes de Aluernia à quo sacris munitus ipsa nocte Natiuitatis Domini, dum in Missa caneretur, Gloria in excelsis Deo, volauit in Cęlum Anno Domini 1306.

Eius Cor, præ nimio Diuini Amoris ardore, in plures discissum partes repererunt. Quem communi omnium voce, & Sacrorum Oratorum publicis laudibus ad hæc vsque tempora Beatum, à Sanctiss Dom. Nostro, apud Sacram Rituum Congregationem Tudertina Ecclesia proprio colendum officio supplex petit,

Ve-

Veræ Sapientiæ comparandæ modus ex Beato Iacopone Tudertino.

O D E.

QVisquis, ò gestit sapiens haberi
Nomen, & fasces super astra ferre:
Fiat insanus; studeatque Mundo
Insidiari.

Dogma Iacobi est, lemurum sic astus
Fallere; & victum simulando, fortem
Vincere; & carnis furiosa vilis,
Arma vereri.

Mira certandi ratio! quæ lauros
Congerit victis, animosque subdit
Ad triumphales superum Coronas
Arripiendas.

Summe, qui cernis pugiles, Auerni
Fraudibus necti faciles, ò rerum
Rector, adspira, sapidosque amentes
Adde trophæis.

Beatus Iacoponus Amoris ignibus Corde diſſecto, emoritur.

O D E.

FLammis ah ſuperis Cor tetigit tuum,
Iacobe, almus amor, dulcia quod ſecat
In fruſta & placido deliquio peris,
Diuini patiens foci.
I nunc igniuomo terribilis toro,
Trinacria: ecce riges ſollicita ad focos
Iacobi; ò, gelidos, qui boreas fugis:
Æſtum hunc (ſolue metum) ſubbi;
Non hic lætiferis omnia dentibus,
Fęlix plaude Tuder, quæ rapit, hæc vorat
Sed (mirabile!) non deficientia
Seruans omnia conterit.
IESV perpetuò ſit tibi gloria,
Cuius terrigenum pectora corripit
Ignis: ſic humiles munificus calor
Vrens euehit ad Deum.

LAVS DEO.